



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

An Deus possit nouiter vel ex te[m]pore scire vel præscire aliquid. B

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

Et omnia quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, vnusquisque eorum simul videt, non particulatim aut sigillatim velut alternâte conspectu hinc illinc: & inde huc: & rursum inde, vel inde in aliud atq; aliud: vt aliqua videre nō possit, nisi nō vidēs alia: sed omnia simul videt, quorum nullum est q̄ nō semper videat & sciat. Eius itaque scientia inamissibilis & inuariabilis est. Nostra v. scientia, & amissibilis, & variabilis, & receptibilis est: q̄ nō hoc est nobis esse, q̄ sapere vel scire. Propter hoc sicut nostra sciētia illi scientiæ Dei dissimilis est, sic & nostrū verbū quod nascitur de scientia nostra, dissimile est illi verbo quod natum est de patre scientia. Ex hac auctoritate clare ostenditur, scientiam Dei omnino inuariabilem esse, sicut ipsa essentia Dei omnino inuariabilis est: & quod pater & fili⁹ cum spiritu Sancto simul omnia sciunt & vident. Sicut ergo non potest augeri vel diminui diuina essentia, ita nec diuina scientia: & tamen conceditur posse scire quod non scit, & posse non scire quod scit: quia posset aliquid esse subiectum eius scientiæ, quod non est, & posset non esse subiectū aliquid q̄ est, sine permutatiōe ipsius scientiæ.

*Oppositio, an Deus possit nouiter vel ex tempore scire vel præscire aliquid.* B

Hic opponitur à quibusdam ita. Si Deus potest aliquid scire vel præscire, quod nunquā sciuit vel præsciuit: potest ergo ex tēpore aliquid scire vel præscire. Ad quod dicimus. Potest quidē Deus scire vel præscire omne quod potest facere, & potest facere quod nunquā fiet. Potest ergo scire vel præscire quod nunquam fiet, nec est, nec fuit: nec illud scit vel sciuit, neq; præscit vel præsciuit, quia scientia eius non est nisi de his, quæ sunt vel fuerunt vel erunt, præsciētia nō est nisi de futuris. Et licet possit scire vel præscire, quod nunquam est vel erit, nō

P 5 tamen

*Eodē lib. c. 14 paulo inferius.*

*Eodē lib. c. 13. in fine.*

*Responsio.*

tamen potest aliquid scire vel præscire ex tempore. Potest utique scire vel præscire quod nunquam est, nec erit, nec illud scitum vel præscitum est ab æterno: nec tamen potest incipere scire vel præscire illud, sed ita potest modo scire, vel præscire sicut potest scisse vel præscisse ab æterno. Si enim dicatur eum modo posse scire vel præscire quod ab æterno non sciuit vel præsciuit, id est, ita quod ab æterno non sciuerit vel præsciuerit, quasi utrumque simul esse possit, falsum est. Si vero dicas eum posse modo scire vel præscire quod ab æterno non sciuit vel præsciuit, id est, habere potentiam sciendi vel præsciendi ab æterno & modo aliquid, nec tamen illud præscitum est vel futurum, verum est. Non potest ergo nouiter vel ex tempore scire vel præscire aliquid: sicut non potest nouiter vel ex tempore velle aliquid, & tamen potest velle quod nunquam voluit.

*Utrum Deus possit scire plura quam scit.* C

Item à quibusdam dicitur Deus posse plura scire quam sciat: quia potest omnia scire quæ scit, & potest aliqua facere quæ nunquam erunt, & illa potest scire: non enim aliqua incognita facere potest. Si vero omnia essent quæ modo sunt, & alia quædam facere: quæ non sunt, nec erunt, & illa omnia sciret pro certo, plura sciret, quam modo sciat: nec tamen eius scientia augeri potest, quia hoc totum fieri posset sine mutabilitate scientiæ. Constat ergo Dei scientiam omnino esse immutabilem, nec augeri posse vel minui: sed ei subiecta.

*Quod videtur aduersum illi sententiæ, qua supra dictum est,*

*Deum semper & simul scire omnia.* D

Ei vero quod prædictum est, scilicet, quod Deus omnia sepe videt & simul, videtur obuiare quod ait. Hier. in expositione Abacuc: Absurdum est, inquit, ad hoc deducere Dei maiestatem, ut sciat per momenta singula quot pulices nascatur, quot ve-

morian-

*Tom. 6. in  
explanatio-  
ne huius,  
mundi sunt  
oculi tui  
cap. 1.  
Abacuc.*